



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale**

**Augustinus, Aurelius**

**Coloniae Agrippinae, 1649**

Oratio cor multum movens ad devotionem, & divinum amorem, 35

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

Vtinam sic te timeret peccatrix anima mea, quomodo ille vir sanctus, qui dixit: Semper enim quasi tumentes super me fluctus timui Deum. Dator enim bonorum Deus, da mihi inter laudes tuas fontem lachrymarum, simul cum cordis puritate, & mentis jubilatione, ut perfecte te diligens & digne te laudans, ipso cordis palato sentiam, gustem & sapiam, quam dulcis & suavis es, Domine, sicut scriptum est: Gustate & videte quoniam suavis est Dominus. Beatus vir, qui sperat in eo: beatus populus, qui scit jubilationem: beatus vir, cujus est auxilium abs te, ascensiones in corde suo disposuit in valle lachrymarum, in loco quem posuit. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua, Domine, in sæcula sæculorum laudabunt te.

## CAPVT XXXV.

*Oratio multum movens ad devotionem & divinum amorem.*

I. **I**esu nostra redemptio, amor & desiderium, Deus de Deo; adesto mihi famulo tuo. Te invoco, ad te clamo clamore magno, in toto corde meo. Te invoco in animam meam: intra in eam, & coapta eam tibi, ut possideas eam sine ruga, & sine macula. Mundissimo namque Domino, munda debetur habitatio. Sanctifica ergo me vas tuum, quod fecisti; de malitia evacua, imple de gratia, & plenum conserva; ita ut dignum habitationis tuæ efficiar templum hic  
& in

& in perpetuum. Dulcissime, benignissime, amantissime, charissime, potentissime, desideratissime, preciosissime, amabilissime, pulcherrime; tu melle dulcior, lacte & nive candidior, nectare suavior, gemmis & auro preciosior, cunctisque terrarum divitiis & honoribus mihi charior.

2. Quid dico, Deus meus, una spes mea, tam grandis misericordia tua? Quid dico dulcedo foelix & secura? Quid dico, dum talia dico? Dico, quod valeo, sed non dico, quod debeo. Vtinam possem talia dicere, qualia illi hymnidici Angelorum chori. O quam libenter me in tuis laudibus totum effunderem! O quam devotissime illa coelestis melodiarum cantica ad laudem & gloriam nominis tui in medio Ecclesiarum infatigabilis perorarem! Sed quia talia non possum, nunquid tacebo? Vae tacentibus de te, qui ora mutorum resolvis, & linguas infantium facis disertas. Vae tacentibus de te, quoniam ipsi loquaces muti sunt, cum non tuas laudes dicunt.

3. Quis digne te laudare potest, ô ineffabilis virtus, & sapientia Patris! Et quoniam nulla invenio verba, quibus te sufficienter valeam explicare cunctipotens & omniscium Verbum, dicam interim, quod valeo, donec jubeas me venire ad te, ubi possum dicere quod te decet, & me oportet. Et ideo suppliciter rogo, ut non respicias tantum ad id quod modo dico, sed ad id quod dicere opto. Cupio enim desiderio magno de te eloqui, quod oportet & decet: quia te decet laus,

te decet hymnus, tibi que debetur omnis honor. Scis ergo occultorum cognitor Deus, quoniam cœlo, terra, & omnibus quæ in ea sunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es. Diligo enim te super cælum & terram, & cætera omnia quæ in eis sunt; immo amore nominis tui, quæ transitoria sunt, procul dubio amanda non sunt. Amo te Deus meus amore magno, magisque te amare cupio.

4. Da mihi ut amem te semper, quantum volo, & quantum debeo, ut tu solus sis tota intentio mea, & omnis meditatio mea. Te mediter per dies sine cessatione, te sentiam per soporem, in nocte te alloquatur spiritus meus, tecum fabuletur mens mea. Lumine sanctæ visionis tuæ illustretur cor meum, ut te rectore, te duce ambulem de virtute in virtutem, tandemque videam te Deum deorum in Sion, nunc quidem per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem, ubi cognoscam te sicut & cognitus sum. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te. Rogo itaque te, Domine, per omnes miserationes tuas, quibus de morte æterna liberati sumus, mollifica cor meum durum & lapideum, saxeam & ferream, tuâ sacratissima & potenti unctiōe, & fac me per ignem compunctiōis coram te omni hora hostiam vivam fieri.

5. Fac me in tuo conspectu cor contritum & humiliatum semper habere, cum lachrymarum abundantia. Fac me ex toto desiderio

rio

rio huic mundo funditus extingui, & transientium rerum oblivisci, præ magnitudine timoris & amoris tui, usque adeo, ut de temporalibus nec lugeam, nec gaudeam, nec metuam aliquid temporale, nec diligam, nec blandis corrumpar, nec adversis concutiar. Et quia tui valida est ut mors dilectio, absorbeat (quæso) mentem meam ab omnibus quæ sub cælo sunt, ignita & melliflua vis amoris tui; ut tibi soli inhæream solaque tuæ suavitatis memoria pascar.

6. Descendat, Domine, descendat (precor) descendat in cor meum odor tui suavissimus, ingrediatur amor tui mellifluus. Veniat mihi tui saporis mira & inenarrabilis fragrantia, quæ sempiternas in me suscitet concupiscentias; & ex corde meo producat venas salientis aquæ in vitam æternam. Imensus es, Domine, & ideo sine mensura debes amari & laudari ab iis, quos tuo precioso sanguine redemisti. Amator hominum benignissime, clementissime Domine, & æquissime iudex, cui omne iudicium dedit Pater, sapientissimo tuæ æquitatis iudicio discernis hoc rectum & iustum esse, ut filii huius sæculi noctis & tenebrarum, præstantiori desiderio, virtute atque studio, diligant & quærant perituras divitias, & fugitivos honores: quam nos servi tui diligamus te Deum nostrum, per quem facti & redempti sumus.

7. Si enim homo hominem tanta diligit dilectione, ut alter alterum vix patiatum abesse, si sponsa sponso tanto conglutinatur  
men-

mentis ardore, ut præ magnitudine amoris nulla perfrui valeat requie, chari sui absentiam non sine mœrore ferens: qua ergo dilectione, quo studio, quo fervore, anima quam desponsasti tibi fide & miserationibus, debet diligere te verum Deum, & pulcherrimum sponsum: qui nos sic amasti & salvasti, qui pro nobis tot, tanta, & talia fecisti? Quanquam autem hæc infima habeant suas delectationes, suosque amores: non tamen tali modo delectant sicut tu Deus noster. In te enim delectatur justus, quia amor tui suavis est & quietus. Nam pectora, quæ possides, dulcedine & suavitate & tranquillitate replet. Et contra, amor seculi & carnis anxius est & perturbatus: animas certe quas ingreditur, quietas esse non patitur; semper enim suspicionibus, & perturbationibus, variisque timoribus sollicitat eas.

8. Tu itaque es delectatio rectorum & merito: quies enim valida est apud te, & imperturbabilis vita. Qui intrat in te, bone Domine, intrat in gaudium Domini sui, & non timebit amplius; sed habebit se optime in optimo loco dicens: Hæc requies mea in sæculum sæculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. Et illud: Dominus regit me, & nihil mihi deerit; in loco pascuæ ibi me collocavit. Dulcis Christe, bone Iesu, reple semper (quæso) cor meum inextinguibili dilectione tui, continua recordatione tua, adeo, ut sicut flamma urens, totus ardeam in tui amoris dulcedine; quem & aquæ multæ in me nunquam possint extinguere. Fac me dulcissime

sime Domine amare te ; & desiderio tui deponere pondus omnium carnalium desideriorum , & terrenarum concupiscentiarum gravissimam sarcinam , quæ impugnant & aggravant miseram animam meam ; ut posses te expedite in odore unguentorum tuorum currens , usque ad tuæ pulchritudinis visionem efficaciter satiandus , quantocius te quoque duce merear pervenire.

9. Duo enim amores , alter bonus , alter malus , alter dulcis , alter amarus , non simul in uno capiunt pectore. Et ideo si quis præter te aliud diligit , non est charitas tua Deus in eo. Amor dulcedinis , & dulcedinis amoris : Amor non crucians , sed delectans amor sincere castæque permanens in sæculum sæculi ; amor , qui semper ardes , & nunquam extingueris ; dulcis Christe , bone Iesu , charitas , Deus meus : accende me totum igne tuo amore tui , suavitate & dulcedine tua , jucunditate & exultatione tua , voluptate & concupiscentia tua , quæ sancta est & bona , casta & munda , tranquilla est & secunda : ut totus dulcedine amoris tui plenus , totus flamma charitatis tuæ succensus , diligam te Deum meum ex toto corde meo , totisque medullis præcordiorum meorum , habens te in corde , in ore , & præ oculis meis semper & ubique ; ita ut nullus pateat in me locus adulterinis amoribus.

10. Audi Deus meus , audi lumen oculorum meorum : audi quæ peto , & da quæ petam , ut audias me. Pie & misericordissime Domine , ne efficiaris mihi inexorabilis

pro-

propter peccata mea, sed propter bonitatem tuam suscipe preces servi tui: & da mihi effectum petitionis meæ, & desiderii mei; intercedente, & orante, & impetrante gloriosa virgine genitrice tua, Maria Domina mea, cum omnibus Sanctis tuis, Amen.

## CAPVT XXXVI.

*Oratio devotissima ad laudes habendas.*

1. **C**Hriste Domine, verbum Patris, qui venisti in hunc mundum peccatores salvos facere: rogo te per indulgentissima misericordiae tuæ viscera, emenda vitam meam, meliora actus, compone mores: tolle de me, quod mihi nocet, & tibi displicet: & da, quod nosti tibi placere, & mihi prodesse. Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine, nisi tu solus? Tu es Deus omnipotens infinitæ pietatis: qui justificas impios, & vivificas mortuos propter peccatum: qui mutas peccatores, & non sunt. Tolle ergo de me, quidquid tibi displicet in me. Imperfecta enim mea plurima vident oculi tui. Mitte, quaeso, manum pietatis tuæ in me: & tolle de me, quidquid offendit oculos pietatis tuæ in me. Coram te Domine est sanitas & infirmitas mea: illam (precor) ferva, istam sana.

2. Sana me Domine, & salvabor: salvum me fac: & salvus ero: Tu, qui infirma sanas, & sanata conservas: Tu, qui solo nutu tuo restauras diruta & collapsa. Si enim dignaris in agro tuo corde meo serere bonum semen, necesse est, ut manu pietatis tuæ spi-